



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Elzearius Conf. 27. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

S. ELZEARIUS CONF. 27. Septembris.

DUXIT ELZEARIUS Gallus Comes Dalphinam. Dos rari pretii fuit, virginitas, quam sacrosanctam uterque per omnem vitam habuit. Vidit hanc matrona à Superis laudari sub gemmæ figurâ, quâ utique nulla etiam VIRGINIS dextræ clarior est. Aliâ, omnium ordinum turmas legere Agni vestigia, & his signiferum præire ELZEARIUM. Iterum aliâ decumbentibus in thalamo medium assistere & renidentem Christum conspexit. Talia nimirum virgo animus somnia alit. Jam familiæ suæ leges ELZEARIUS has fixit: *Sacris quotidie interessent: vitam castam agerent: post octavum diem animum expiarent: post mensem Epulo sacro rescerent: antemeridianum tempus pietati, pomeridianum labori darent: verbum vel impium vel obscœnum atro pane & aquâ luerent: vetito ludi genere omni se abstinerent: pacem non frangerent, fractam illico resarcirent: horam denique quotidie piis colloquiis donarent.* Ipse quòd irasci numquam veller, jam non posse credebatur; sed verius lædi non poterat, ut qui habitare in Crucifixi vulnere se dictitabat. Cæterum quòd nescio cujus noxæ periculum adisset, Christus eum per totum carminis Davidici, quod quinquagesimum numeramus, decursum, flagellis cecidit. Quid hîc illi, qui ad peccandi pericula non eunt, sed currunt? Obiit demum mortem sub annum M. CCC. XXIII. cum vitæ magistram, ut ipse Christus edixerat, MARIAM habuisset. Vestra vita, Sodales, qui eâdem magistrâ gloriamini, dicite, cur est dissimilis? *Ex Surio.*

Non solum à gravibus peccatis tempera, sed etiam ab illis, quæ levia apparent, quæ ferè negligi sperniq; solent, quasi

quasi nulla de similibus reddenda foret ratio, cum per ejusmodi etiam nos perdere soleat diabolus. S. Ephrem c. de Temperant.

S. THIEMO EP. MART. 28. Septembris.

Natus in illustri Bojorum familiâ THIEMO, & in sinu sociorum D. Benedicti educatus, literas omnes à primis annis imbibit. addidit deinde pingendi fingendique & celandi artes. Tam doctum ille artifex dæmon pænè fefellit, cum fugam è cœnobio persuasit. Sed acceptam ignominiam reversus mox novâ victoriâ obruit, & , ut hanc probari à Superis scires, insequente nocte per somnum victori sibi deferrî infulam Salisburgensem & Martyrum palmam vidit. Nec multò post moriens Gebhardus Pont. heredem THIEMONEM dixit. Sed involavit in hanc Pseudoepiscopus Berchtoldus, qui pro Imp. Henrico contra Pont. Greg. stabat. Hic captivo THIEMONI spem infulæ auferre cum capite voluit. Sed aut exerravit gladius, aut duriozem se cervicem deprehendit. THIEMO modò palmam prehenderet, facile infulam missam facturûs, elapsus è carcere Hierosolymam unâ cum Guelfone petiit. Sed à Turcis captus, cum statuariam artem professus esset, jussus est truncum & deformatum Mahometis simulacrum splendori pristino reddere. Hic THIEMO malleum aliaque artis instrumenta petere; mox, ubi hæc ad manus fuere, celebre & oraculis illustre idolum in mille alias partes deformare, numquam doctius arte suâ usus. Nec præmium artificio suo defuit, scuticis toxicatis casso, omnibusque membris trunco venter discissus, baculoq; implexa ilia sede suâ cum corde evulsa.

Reliquit